

CAPUT V.

Quod boni Angeli ante casum malorum peccare potuerunt.

Mag. **P**Utaſne bonos Angelos ſimiliter potuiſſe peccare, antequam mali caderent? *Diſc.* Puto; ſed ratione comprehendere vellem. **Mag.** Hoc certum habes, quia ſi non potuerunt peccare, non poteſtate, ſed neceſſitate ſervaverunt juſticiam. Quare non magis meruerunt gratiam a Deo, quia ſteterunt, aliis cadentibus, quam quia ſervaverunt a rationalitatem, quam perdere nequiverunt. Sed nec juſti recte, ſi bene conſideres, dicerentur. *Diſc.* Sic monſtrat ratio. **Mag.** Illi ergo qui ceciderunt, ſi non peccaſſent, cum poſſent, tanto meliores eſſent, quam b iſti; quanto & vere eſſent juſti, & gratiam a Deo mererentur. Unde ſequitur quia aut electi homines majores, & meliores erunt Angelis bonis; aut reprobi Angeli perfecte non reſtaurabuntur; quoniam non tales erunt homines, qui pro illis c aſumentur, quales illi futuri erant. *Diſc.* Hæc duo penitus neganda exiſtimo. **Mag.** d potuerunt igitur boni Angeli peccare, ante caſum e malorum; nec aliter, quam ſicut oſtenſum eſt de illis, qui peccaverunt. *Diſc.* Aliter eſſe poſſe non video.

CAPUT VI.

Quomodo boni confirmati ſunt in ſuo ſtatu, & mali in caſu ſuo.

Mag. **I**LLI f itaque Angeli, qui magis voluerunt juſticiam, quam habebant; quam illud plus, quod non habebant: bonum, quod quaſi propter juſticiam, quantum ad voluntatem pertinuit, perdidit, juſticia retribuentem acceperunt; & de illo, quod habebant, in vera ſecuritate permanſerunt. Quapropter adeo ſunt g proveſti, ut h ſint adepti quicquid potuerunt velle; nec jam videant i quid plus velle k poſſint; & propter hoc peccare nequeunt. Illi vero Angeli, qui maluerunt illud plus, quod nondum Deus illis dare volebat; quam ſtare in juſticia, in qua facti erant: eadem juſticia judicante, & illud, propter quod illam contempſerunt, nequaquam obtinuerunt; & quod tenebant, bonum amiſerunt. Sic ergo diſtincti ſunt Angeli, ut adherentes juſtitiæ nullum velle bonum poſſint, quo non gaudeant; & deferentes illam, nullum velle queant, quo non careant. *Diſc.* Nihil pulchrius, aut juſtius hac diſtinctione. Sed ſi poſſes dicere, vellem audire cujuſmodi commodum illud fuit, quod & boni Angeli juſte volendo ſic l profecerunt, & mali injuſte concupiſcendo ſic defecerunt. **Mag.** Quid illud fuerit non video: ſed

quicquid fuerit, ſufficit ſcire, quia fuit aliquid, ad quod creſcere potuerunt; quod non acceperunt, quando creati ſunt, ut ad aliud ſuo merito proficerent.

CAPUT VII.

Quæſtio, an voluntas, & ejus converſio ad quod non debet, ſit ipſum malum quod malos facit: & cur non poſſit rationalis creatura per ſe de malo converti ad bonum, ſicut poteſt de bono ad malum.

Diſc. **E**T nobis nunc ſufficiat hucusque de hoc m inveſtigare. n Sed nescio quid ſit, ut cum me o ſpero ad finem quæſtionis p jam pertingere, tunc magis videam vel de radicibus ſuccifarum quæſtionum alias pullulantes conſurgere. Ecce enim cum maniſeſtiſſime videam, perverſum Angelum nulla ratione devenire potuiſſe in immoderatam boni indigentiam, niſi propter immoderatam concupiſcentiam: non parum me movet, unde iplam inordinatam habuit voluntatem. Si enim bona fuit; propter bonam voluntatem, de tanto bono cecidit in tantum malum. Item: ſi bona fuit, Deus illam illi dedit: quia non niſi nihil habuit a ſe. Si ergo voluit quod Deus dedit velle; quid peccavit? Aut ſi a ſe habuit hanc voluntatem; habuit q aliquod bonum, quod non accepit. Quod ſi mala eſt, & aliquid eſt; iterum occurrit, quia quod nonniſi a Deo eſt, a quo r eſt omne quod aliquid eſt. Et ſimiliter quæri poteſt quid peccavit habendo voluntatem, quam Deus dedit; aut quomodo potuit Deus dare malam voluntatem. Si vero ſ hanc mala voluntas ab ipſo diabolo fuit, & aliquid eſt; habuit aliquid a ſe, & non eſt omnis eſſentia bona, nec malum erit nihil, ſicut ſolemus dicere; ſiquidem mala voluntas, eſſentia eſt: aut ſi mala voluntas nihil eſt; propter nihil, & ideo ſine cauſa, tam graviter damnatus eſt. Quod autem dico de voluntate, hoc t ipſum dici poteſt de concupiſcentia, ſive deſiderio: quoniam & concupiſcentia, & deſiderium, voluntas eſt; & ſicut eſt bona, & mala voluntas; ita eſt u bona & mala concupiſcentia, & bonum & malum deſiderium. Quod ſi dicitur quia voluntas eſt aliqua eſſentia, & ideo bonum eſt aliquid: ſed converſa ad hoc, quod debet velle, ſit bona voluntas; ad id vero, quod non debet, converſa, dicitur voluntas mala: quidquid dixi de voluntate, video poſſe dici de ipla converſione voluntatis. Mover enim multum me, unde iplam perverſam habuit diabolus voluntatis converſionem, & cætera, quæ de x voluntate modo dixi. Eſt adhuc y aliud, quod valde miror, cum conſidero hanc voluntatis converſionem: cur, videlicet

a Rationabilitatem *msf.* rationalitatem.

b Quam iſti *msf.* *Viſt.* 3, quam juſti.

c Illis ſumuntur *msf.* *Bec. Gem. Cifter.* S. Mich. illis aſſumentur *msf.* *Viſt.* 3. & 9. illis aſſumentur.

d Poterant igitur *msf.* potuerunt igitur.

e Caſum malorum *msf.* *Viſt.* 3, omitt. malorum.

f In *msf.* Caput 6. incipit ab his verbis. M. Illi itaque illud plus quod non *msf.* *Viſt.* 9. illud quod plus non.

g A Deo ſunt proveſti *msf.* adeo ſunt proveſti.

h Ut ſunt adepti *msf.* ut ſunt adepti.

i Quod plus velle *msf.* *Viſt.* *Bec. Gem. S. Mich.* quid plus velle.

k Poſſunt; & *msf.* poſſint, &c.

l Volendo ſic perſecerunt *msf.* nolendo ſic perſecerunt.

m Inveſtigare *msf.* *Viſt.* inveſtigare.

n In *msf.* *Cifter.* hic incipit Cap. 7.

o Me ſpero *msf.* *Viſt.* *Cifter.* me ſpero.

p Jam pertingere *msf.* *Cifter.* omitt. Jam.

q Habuit a ſe aliquid *msf.* *Viſt.* & *Cifter.* omitt. a ſe.

r A quo omne quod eſt, aliquid eſt *msf.* a quo eſt omne quod aliquid eſt.

s Si vero mala *msf.* ſi vero hæc mala.

t Hoc idem dici *msf.* *Cifter.* & *Viſt.* hoc ipſum dici.

u Ita eſt & bona *msf.* *Viſt.* ita eſt bona.

x De voluntate modo dixi *msf.* *Viſt.* 13. de voluntatis converſione modo dixi.

y Eſt adhuc aliquid *msf.* *Viſt.* *Gem. Bec.* Eſt adhuc aliud.

al. rationalitatem.

al. Cap. 6.

al. juſti.

al. poterant

al. pars c. 6a

al. proveſti

al. quod poſſunt.

al. perſecerunt.

Unde inordinatam Angelis voluntas.

al. a ſe aliquid

al. de voluntatis converſione.